



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

In Festo SS. Petri & Pauli Apost.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

mus ergo eos, ut ipsi propitium nobis reddant amicum suum Judicem nostrum, qui est DEUS benedictus in sæcula, Amen.

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

S E R M O I.

GLoriosa nobis solemnitas illuxit, quam præclari martyres Martyrum duces, Apostolorum principes morte clarissima consecrarunt. Isti sunt *Petrus & Paulus*, duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit quasi geminum lumen oculorum. Hi mihi traditi sunt in Magistros & in mediatores: quibus securè me committere possum: quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum mediatorem ascendere poterò, qui venit pacificare per sanguinem suum & quæ in coelis, & quæ in terris sunt. Ille enim in utraque natura purissimus est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Quomodo ad illum accedere audebo, qui sum supra modum peccans peccator, qui peccavi numerum arenæ maris, cum ille purior, ego impurior esse non possim? Verendum ne incidam in manus Dei viventis, si illi appropinquare vel inhærere præsumpsero, quem à me tanta differentia dividit, quantum distat inter bonum & malum. Propterea dedit mihi Deus homines istos, qui & homines essent, & peccatores, & maximi peccatores, qui in seipsis & de seipsis dicerent, quàm latè aliis misereri deberent. Magnorum enim criminum rei magnis criminibus facillè donabunt veniam, & in qua mensura mensum est eis, remetientur nobis. Peccavit peccatum grande Petrus Apostolus; & fortassis quo grandius nullum est: & tam velocissimè, quam facillimè veniam consecutus est, & sic, ut nihil de singularitate sui primatus amitteret. Sed & Paulus qui in ipsa viscera nascentis Ecclesiæ tam singulariter quàm incomparabiliter grassatus est, per ipsius filii Dei vocem ad fidem adducitur, & pro tantis malis, tantis bonis repletus est, ut Vas electionis fieret, ad portandum nomen eius coram gentibus, & regibus, & filiis Israel^a. Vas dignum, & cœlestibus ferculis repletum; de quo & sanus escam, & infirmus accipiat medicinam.

Tales decebat humano generi Pastores & Doctores constitui, qui & dulces essent & potentes, & nihilominus sapientes. Dulces, ut me blandè & misericorditer susciperent. Potentes, ut fortiter protegerent. Sapientes, ut ad viam, & per viam ducerent, quæ ducit ad civitatem. Quid Petro dulcius, qui tam dulciter ad se omnes convocat peccatores, sicut & Actus Apostolici, & Epistolarum eius series attestatur? Quid illo potentius, cui & terra obedivit, cum mortuos reddidit^b; & mare sub

Sancti nobis à DEO dati in magistros & mediatores.

Petrus & Paulus olim peccatores nunc Eccles. prædicatores & pastores.

^a Act. 9.

^b Act. 9. g

c Matt. 14. c
d Act. 8. c
e Matt. 16. c
o Ibidem.
g 2. Cor. 12. g
h Rom. 8. g
i 2. Cor. 12. b

pedibus eius se calcabile præbuit ^c : qui Simonem Magum spiritu oris sui in aere attigit ^d : qui claves regni cœlorum tam singulariter accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam cœli ? Denique *quodcumque ligaveris* (inquit ^e) *super terram, erit ligatum & in cœlis* : & *quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*. Quid autem illo sapientius, cui non caro & sanguis revelavit ^o ? Libentissimè Paulum sequor, qui præ nimia dulcedine luget eos qui peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ^g : qui fortior est omni Principatu & Potestate ^h : sapientiam & medullam sacrorum sensuum non à primo vel secundo, sed à tertio cœlo largiter asportavit ⁱ.

Apostoli quid nos doceant.

Scientia bene vivendi potissima.

In quo constat bona vita.

In congregatione vivendum ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter.

In patiendō malum triplici providentiā opus.

Hi sunt Magistri nostri, qui à Magistro omnium vias vitæ plenius didicerunt, & docent nos usque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt, vel docent nos Apostoli sancti ? Non piscatoriam artem, non scenofactoriam, vel quicquid huiusmodi est : non Platonem legere, non Aristotelis versutias inverfare, non semper discere, & nunquam ad veritatis scientiam pervenire. Docuerunt me vivere. Putas parva res est scire vivere ? Magnum aliquid, imò maximum est. Non vivit qui superbiâ inflatur, qui luxuriâ sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus : quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, & appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseverare usque ad mortem. Dicitur vulgo, quia qui bene se pascit, bene vivit : sed mentita est iniquitas sibi : quia non bene vivit, nisi qui bonum facit.

Arbitror autem quod tu qui in congregatione es, bene vivis, si vivis ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter. *Ordinabiliter* tibi, sociabiliter proximo, humiliter DEO. *Ordinabiliter*, ut in omni conversatione tua sollicitus sis observare vias tuas, & in conspectu Domini, & in conspectu proximi : cavens, & tibi à peccato, & illi à scandalo. *Sociabiliter*, ut studeas amari & amare ; blandum te & affabilem exhibere : supportare non solum patienter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quàm corporum. *Humiliter*, ut cum hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex huiusmodi nasci solet : & quantumcumque illum senseris, negare omnino consensum.

Sic & in patiendō malum quoniam triplex est, triplicem providentiā adhibere te oportet. Est enim quod à te pateris, quod à proximo, quod à Deo. *Primum* est austeritas pœnitentiæ : *secundum*, vexatio alienæ malitiæ : *tertium*, flagellum correctionis divinæ. In eo quod à te pateris, debes voluntariè sacrificare : quod à proximo, patienter ferre : quod à DEO, sine murmure, & cum gratiarum actione *sustinere*. Non sic

In Festo SS. Petri & Pauli, Sermo II. 313

fic multi filiorum Adam, qui erraverunt in solitudine in inaquoso ^k. Er- ^k PF 106. a
 raverunt planè, & errant à viaveritatis, qui in solitudinem superbiæ recedentes, socialem vitam habere non volunt: quorum singularitas associari non potest. Sed & in inaquoso: quia nullo imbri lachrymarum compuncti in terra iterili & arenti perpetua siccitate morantur. Propterea viam civitatis habitaculi non invenerunt: quia inveterati in terra aliena coinquinati sunt cum mortuis, deputati cum his qui in inferno sunt.

Non erat ita solitarius ille, de quo sanctus Hieremias ait, *Bonum est* ^l Thren. 3. c
viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & tacebit,
quia levavit se super se. Illi erraverunt, sed iste sedebit semper. Illi enim ^{Boni solitarii}
 errant corde: iste autem sedet, sed sedebit solitarius, cum habuerit ^{conditiones.}
 honorem singularitatis, illius videlicet judiciariæ potestatis insigne, quod sancti in terra possidebunt, cum lætitia sempiterna erit eis. Quare? *Quia*
levavit se super se, id est, cum adolescens esset, & ætatis lubricæ sentiret
 ardores, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat.
Levavit (inquit) *se super se:* quia non respicit ad se, sed ad illum qui est su-
 per se. Sedebit enim & tacebit, etiam modò à strepitu diabolicarum sug-
 gessionum, à strepitu carnalium desideriorum, à strepitu mundi. Felix
 anima quæ linguas istas non exaudit, audiat licet: illa multum felicior (si
 tamen aliqua est) cui penitus non loquuntur. Hæc est sapientia quam
 Apostolus loquitur inter perfectos, abscondita in mysterio, quam nemo
 Principum seculi huius cognovit ^m. Sic me Apostoli & vivere & con- ^m I, Cor. 2. b
 scendere docuerunt. Gratias tibi ago Domine JESU, qui abscondisti
 hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis istis qui te secuti
 sunt, & reliquerunt omnia propter nomen tuum.

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

SERMO II.

SAncti isti quorum solennis hodie passio celebratur, multam nobis de
 se loquendi causam, multam quoque materiam præbuere. Verùm
 ego unum timeo, ne totiens audita verba salutis vilescere nobis incipiant
 tanquam verba. Vilis siquidem & volatilis res Verbum hominis, nullius
 molis, nullius ponderis, nullius pretii, nullius soliditatis. Aerem verbe- ^{Verbum Dei}
 rat unde & Verbum dicitur: & sicut folium quod vento rapitur, effluit, & ^{quanti faci-}
 non est qui consideret. Nemo vestrum, fratres, sic accipiat: imo ne- ^{endum,}
 mo sic despiciat verbum Dei. Dico enim vobis: bonum illi fuisset, si
 non audisset homo ille. Fructus vitæ sunt verba Dei, non folia: & si
 folia, sed aurea sunt; proinde non parvipendatur, non pertranseant, non
 præter

^a Heb. 6. b
^b Luc. 13. b
 Matt. 21. b

prætervolent. Ipsa quoque colligite fragmenta ne pereant. Terra enim quæ sapius supervenientem suscepit imbrem, & non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto ^a. Sic & ea quæ in Evangelio sterilis ficulnea legitur ^b, si posteaquam foderit circa eam vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilominus sterilis inventa fuerit; nonne jam securis ad radicem illius arboris est ponenda?

*Seculares in-
 fructuosos pa-
 tientius fert
 Deus quam
 religiosos.*

*Spiritualis a-
 gricultura e-
 legans descri-
 ptio.*

Et ego dico vobis, si minus boni in secularibus invenerit, maiorem in eis Dominus habiturus est patientiam, quàm in nobis, quibus cœlestium consolationum pluviam voluntariam segregavit: quibus non sarculus disciplinæ, non paupertatis & vilitatis stercora defuerunt. An non stercora sunt abominationes Ægyptiorum, quas immolamus Deo nostro? Stercora plane vilia ad aspectum, sed ad fructum utilia. Non refugiat hanc fœditatem, qui fœcunditatem desiderat. Si quidem ex deformi stercoreum acervo qui portatur in agrum, formosus surget acervus manipulorum qui reportabitur ex agro. Propterea non vilescat vobis vilitas preciosa: sed pretiosius cunctis thesauris Ægypti Christi improprium æstimate. Veruntamen terrenum habentibus sterquilinum, ipsa quoque cœlestis non deest pluvia: quæ est orationum devotio, jucunda ruminatio psalmodiæ, dulcis meditatio, consolatio Scripturarum. Denique & hæc ipsa pluvia est, quam accipitis per os meum, si quando de flumine, cuius impetus lætificat Dei civitatem, & torrente voluptatis illius aliqua super vos, dum de eis loquimur, stillicidia stillare contigerit.

*Prelati sunt
 quasi custodes
 & cultores vi-
 nœ.*

Sed necesse habeo interdum circumfodere, quandoquidem posuerunt me custodem & cultorem in vineis. Heu qui meam non colui, nec custodivi! Necesse habeo tamen, dum hunc occupo locum, & circumfodere nonnunquam, & apponere stercora. Molestum id quidem, sed dissimulare non audeo: sciens multò amplius securim nocituram, quàm sarculum: ignem, quàm fimum. Itaque & arguere & increpare interdum necesse est: nec ignoro fimum esse verbum increpatorium, verbum improprietatis, & quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod hoc fimo etsi aliquos impinguari, sed alios planè & lapidari & indurari videmus? Hinc namque scriptum est ^c: *De stercore boum lapidabitur piger*. An non impinguatur, qui increpatus benignè accipit, mansuetè respondet, libenter emendare conatur? Hæc planè salubris & fœcunda impinguatio est, ut corripiat me iustus in misericordia, & increpet: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ex ea siquidem pinguedine quam generat oleum peccatoris, abundantius pullulant spinæ & tribuli, & omnis radix amaritudinis germinat copiosius. Itaque qui iustorum increpationem misericordiam

^c Eccli. 22. a
*Increpatione be-
 nignè susci-
 pienda.*

In Feflo SS. Apoft. Petri & Pauli, Serm. II. 315

diā nominat; fatis indicat, quemadmodum fufcipienda fit, quam benigno animo, quam devota mente: quantāque ei gratia fit habenda. Sic enim accipientibus nobis erit impinguatio falubris, non fertilis vitiorum, quemadmodum oleum peccatoris: fed fructus illius, quem fecundūm Apoftolum habemus, in fanctificationem ^d. Quid autem faciamus tibi ^{d Rom. 6. c} o piger, qui ad hanc mifericordiam irritaris magis & exasperaris? Nonne bonum fimum fparfi in agro tuo? Unde ergo lapides habet? Sed tu inimice homo (quoniam *qui diligit iniquitatem, odit animam fuam* ^e) tu, ^{e Pfal. 10. b} inquam, inimice homo hoc fecifti: qui defidiam tuam non excutere, ^{Correctionis impatientes perstringit.} fed excufare pergens, fimum tibi pervertis in lapides, & unde impinguari debueras, lapidaris. Hæc idcirco dicta funt, fratres, ut noveritis quā benigne audiendum fit, quā devotè fufcipiendum, quā follicite confervandum quicquid ad animarum falutem pertinet, & non ficut verbum hominum, fed ficut, quod verè eft, Verbum Dei, five illud confolatorium, five commonitorium, five etiam increpatorium audiatur. Exceffi, fateor, ipfius propemodum feftivitatē oblitus, fed (ut arbitror) non ad infipientiam vobis, fi firmiter inhæferint animo quæ audiftis.

Et nunc jam de folemnitate ipfa vel breviter aliquid loqui tentemus. Apoftolorum Chrifti feftus agitur dies, quibus fanè plurimūm à nobis honorem deberi fcio. Sed utrum poffit aliquis exhibere, hæfito fatis. *Nimis enim honorati funt amici tui Deus: nimis confortatus eft principatus eorum* ^f. Quid enim? fi in terra adhuc pofiti omnia poterant, ^{f Pfal. 138. c} non quidem in fe, fed in Chrifto: quid non poterunt hodie viventes in æterna felicitate cum ipfo? Mortales adhuc & morituri imperium vitæ & mortis videbantur habere: foleo nimirum verbo mortificantes vivos, & mortuos fufcitantes? quanto magis nunc cum honorati funt nimis: nimis confortatus eft principatus eorum? Sed quid eft, Fratres? Cum Apoftolorum beata hodie memoria celebretur: nunquid nativitatis feu conversionis eorum, aut certè vitæ vel miraculorum folennis agitur commemoratio. Non eft, Fratres, nativitatis humanæ folennitas, ficut paulò ante beati Joannis diem natalitium celebraftis. Ille enim nafcens honoratur, quia nafcitur fanctificatus. Denique in Joanne foleo celebrior ^{Nativitas S. Joannis cur celebrior morte.} eft paffione Nativitas: quia etfi paffus pro Chrifto eft, cum pro iuftitia & veritate occubuit: evidentiùs tamen natus pro eo eft, nimirum homo miffus à Deo, qui in hoc natus eft, & ad hoc venit in mundum, ut perhiberet testimonium veritati ^g. Sed neque conversionem Apoftolorum, aut ^{g Ioan. 1.} eorum miracula hodie recensemus, ficut cæteris diebus aliis, alterius quidem *Converfio alterius de carcere Liberatio facta per Angelum feftivis*

Ecclesiae gaudiis ad memoriam revocatur. Mortem specialius veneramur: qua nihil inter homines humano iudicio plus horretur.

*Mortem SS.
cur celebret
Ecclesia.*

*h Psal. 115. a
Mors SS. pre-
tiosa.*

i Psal. 138. c

*k Ioan. 11. b
l Psal. 126. a*

*Vita iustorum
desideranda,
sed mors vel
maximè.*

m Eccle. 7. d

n Deut. 32.

*Spiritualis
Exercitii
Summa.*

o Ad Tit. 2. d

Considerate, Fratres, Ecclesiae sanctae iudicium secundum fidem, non secundum faciem iudicantis. Mortem siquidem Apostolorum in eorum recolat Solemnitate praecipua. Hodie nimirum Petrus crucifixus est, hodie decollatus est Paulus. Haec hodiernae causa festivitatis: haec praesentium materia gaudiorum. In his igitur festum agens diem & laetum, sine dubio spiritum Sponsi habet Ecclesia, spiritum Domini: in cuius conspectu (sicut habes in psalmo) *pretiosa est mors sanctorum*^b. Quantos enim, dum paterentur Apostoli, credimus affuisse, qui nequaquam pretiosis mortibus illorum inviderent? Visi sunt enim oculis insipientium mori, & aestimata est afflictio exitus eorum. Et sic quidem visi sunt oculis insipientium: *mibi* (ait Prophetaⁱ) *nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum*. Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium, sed in oculis sapientium iudicantur potius obdormire. Denique & Lazarus dormiebat, quia amicus erat^k; & cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini^l.

Studeamus, Fratres, vivere vita iustorum: sed morte eorum mori multo magis desideremus. Sapientia enim iustorum novissima praefert, ibi nos iudicans, ubi nos invenerit. Omnino necesse est vitae praesentis finem futurae cohaerere principio, nec ibi tolerabilis dissimilitudo est. Sicut enim si quis duo sibi (ut ita dixerim) cinctoria consuere aut colligare voluerit, minus de reliquis partibus curans, ipsa quae sibi copulanda sunt capita, uniformiter parat, ne dissideant a seipsis: ita dico vobis quantumlibet extiterit conversatio spiritualis, si carnalis fuerit consummatio nostra, vitae illi spirituali penitus non cohaeret, nec caro & sanguis regnum Dei poterunt possidere. *Fili* (ait Sapiens^m) *memorare novissima tua, & non peccabis*. Nimirum quod haec maximè recordatio faciat timoratum; timor expellat peccatum, negligentiam non admittat.

Hinc & Moyses de quibusdam: *Vitam* (aitⁿ) *saperent & intelligerent, ac novissima providerent*. In quibus utique verbis tria nobis video commendari, sapientiam, intelligentiam, providentiam. Arbitror sanè tribus eas assignari posse temporibus, ut aeternitatis quaedam imago reformari videatur in nobis, praesentia moderantibus per sapientiam, praeterita per intelligentiam dijudicantibus, novissima providentibus ad cautelam. Haec nempe spiritualis est exercitii summa: haec forma studii spiritualis, ut sapienter disponamus praesentia nostra, recogitemus in amaritudine animae nostrae praeterita; futura quoque sollicitè provideamus. *Sobriè, iuste & piè vivamus in hoc saeculo* (ait Apostolus^o), ut videlicet, in pra-

In Festo SS. Apost. Petri & Pauli, Sermo II. 317

præsenti sobrietas observetur; ut iusta satisfactione præterita, quæ nobis sine fructu salutis præterire tempora redimantur, ut pietatis clypeum imminentibus de futuro periculis opponamus. Sola est enim quæ ad omnia valet pietas, cultus scilicet Dei humilis & devotus: nec aliter nobis est providere novissima, nisi ut universa quæ nobis imminere videntur pericula, sedula nobiscum cogitatione versantes, discamus de nostra omnino industria, magis autem de nostris diffidere meritis, & soli divinæ nos protectioni committere pio quodam mentis affectu piæ intentionis in ipsum, cuius datum optimum, & donum perfectum est, consummatio felix, & mors pretiosa.

Quomodo providenda novissima.

Habes in Evangelio ^p tria hæc ipsa tibi sermone Domini commendata. *Beati* (inquit) *pauperes*, *beati mites*, *beati qui lugent*. Beati qui futura sapiunt, præ desiderio cœlestium interno quodam sapore mentis præsentia respicientes. Beati qui novissima provident, in mansuetudine suscipientes insitum verbum, quod eorum salvare animas potest, & pietate cordis ad futuram tendunt hæreditatem. Beati qui pristinum intelligentes errorem, crebris lavant lachrymis lectum suum. Vides quid optat vir sanctus, quid obtinere cupit eis, pro quibus orat. *Vinam* (inquit ^q) *saperent & intelligerent*, *ac novissima providerent*! Ac si manifestius dicat: Utinam esset in eis spiritus sapientiæ, & intelligentiæ atque consilii! Utinam hæc in nobis inveniatur, fratres, ut suaviter omnia nostra per sapientiam disponamus, ut intellectu præterita peccata damnemus, ut provideamus futura consilio! Utinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem: utinam intelligamus ad præteritæ correptionem: utinam devota in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus (ipso miserante) consummationem! Hic enim est funiculus triplex quo trahimur ad salutem, ordinata conversatio, rectum iudicium, fides devota.

p Matr. 5.a

q Deut. 32. d

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

SERMO III.

Hi sunt viri misericordiæ, &c. Eccl. 44.

Merito, Fratres, Apostolis sanctis attribuit mater Ecclesia, quod in Sapientiæ libris legitur ^a: *Hi sunt viri misericordiæ, quarum iustitiæ oblivionem non acceperunt: cum semine eorum permanent bona.* Sunt enim hi planè viri misericordiæ, sive quia misericordiam consequuti, sive quia misericordia pleni, seu quia misericorditer à Deo nobis donati sunt. Et vide, quam misericordiam consequuti sunt. Paulum interroga de seipso, vel magis sponte confitentem ausculta. *Qui fui blasphemus & persecutor & iniquus; sed misericordiam consequutus sum* ^b. *Quis enim non audi-*

a Eccl. 44. b

SS. Apostoli cur viri misericordiæ.

b 1. Tim. 1. c

Rr 2

vit

Mira in Paulum DEI misericordia.
 Act. 9.
 Ibidem.
 1. Tim. 1. c.
 1. Cor. 15. b

vit quanta mala fecerit sanctis in Hierusalem? nec solum in Hierusalem, sed & per totam Judæam insaniam ferebatur habenis, ut Christi membra laniaret in terris^e. Denique hac furia vectus ibat, sed præventus à gratia est. Ibat spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, & discipulus Domini factus est: cui ostenderetur quanta eum oporteret pro nomine ipsius pati. Ibat dirum toto corpore virus exhalans, & subito *in electionis vas* mutatus est, ut jam cor illius eructaret verbum bonum, verbum pium, & diceret^d: *Domine, quid me vis facere?* Hæc utique hæc mutatio dextræ excelsi. Merito proinde loquebatur^e: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus: quoniam Dominus Iesus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Hoc ergo apud beatum Paulum fiducia & consolationis accipite, fratres, ut ad Dominum jam conversos non nimis cruciet præteritorum conscientia delictorum; sed tantum humiliet vos sicut & ipsum. *Ego sum, inquit^f, minimus Apostolorum: qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Ita & nos humiliemur sub potenti manu Dei: & fiduciam habeamus, quia & nos misericordiam consequuti sumus, abluti sumus, sanctificati sumus. Et hoc quidem omnibus nobis: quoniam omnes peccavimus, & egemus hac gloria.

Ingens Dei in Petrum misericordia.
 Semel conversos, iterumque perversos, raro verè resipiscere.
 Thren. 4. a

Verùm apud beatum Petrum aliud habeo quod apponam, eò charius, quò rarius, & quò singularius, eò sublimius. Nam peccavit Paulus, sed ignorans fecit in incredulitate sua. Petrus cum cecidit, apertos habebat oculos. Porrò ubi abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia. Eorum siquidem qui peccant antequam Deum noverint, antequam miserationes eius experti sint, antequam portaverint jugum suave & onus leve, priusquam devotionis gratiam, & consolationes acceperint Spiritus sancti: eorum, inquam, copiosa redemptio est, & tales omnes nos fuimus. At eorum qui post conversionem suam peccatis & vitis implicantur ingrati acceptæ gratiæ: & post missam manum ad aratrum retro respiciunt, tepidi & carnales facti, aut post agnitam viam veritatis retroeunt apostatæ manifesti: eorum utique perpauca invenias, qui post hæc redeant in gradum pristinum: sed magis in sordibus positi sordescant adhuc. Super quos propheta deplorat^g: *Quomodo obscuratum est aurum, inquit, mutatus est color optimus: & qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercorea.*

Nec tamen si quis huiusmodi est, desperamus de eo, tantum ut resurgere velit citò. Quanto enim diutius permanebit, tanto evadet difficilior. Beatus verò qui tenebit, & allidet parvulos Babylonis ad petram. Etenim si creverint, vix poterunt superari. Filioli hæc dico ut non peccetis, sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem,
 qui

In Festo SS. Apost. Petri & Pauli, Serm. III. 319

qui potest quod nos minimè possumus : tantum qui cecidit, non ad-
 ciat in malum, ut profundius cadat, sed magis ut resurgat, confidens quòd
 nec ei negabitur venia, si tamen ex corde confiteatur peccata sua. Si
 enim is, de quo loquimur, Petrus post tam gravem lapsum ad tantam re-
 diit eminentiam sanctitatis; quis de cætero desperet, si tantum egredi
 voluerit à peccatis? Attende quod scriptum est ^b : *Egressus foras, flevit*
amarè. In egressu confessionem oris, in amaro fletu compunctionem
 cordis intellige. Et attende quod tunc primùm recordatus est verbi
 quod dixerat JESUS : tunc primum cordi fuit verbum quo prædicta
 fuerat eius infirmitas, cum evanuit præsumpta temeritas. Væ tibi qui
 post lapsum fortiozem te nobis exhibes. Ut quid tam rigidus es in tuam
 ipsius perniciem? Inclinare potius, ut melius erigaris, & ne prohibeas
 frangi quod distortum est, ut possit melius solidari. Quid indignaris
 increpanti gallo? tibi potius indignare. *Pluviam voluntariam* (ait Psal-
 mista) *segregabis Deus hæreditatis tuæ, & infirmata est.* Bona infirmitas,
 quæ segregatur hæreditati, quæ medicum non repellit. Induratos enim
 tanquam vas figuli in virga ferrea conteret : *& hæreditas infirmata est,* ait,
tu vero perfecisti eam.

Audistis certo quam misericordiam consequuti sint Apostoli no-
 stri : ut jam nemo ex vobis super peccatis præteritis ultra quàm necesse
 sit confundatur, in cubili conscientiæ suæ compunctus. Quid enim?
 Forte peccasti in seculo, nunquid amplius Paulo? Quod si & ipsa in re-
 ligione, nunquid plus Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam
 agentes, non modò salutem sed & sanctitatem consequuti sunt : etiam &
 salutis ministerium, & magisterium adepti sunt sanctitatis. Et tu ergo
 fac similiter, quoniam propter te Scriptura loquitur viros illos esse mise-
 ricordia: Utiq; propter multam misericordiã quam consequi meruerunt.

Potes tamen in hoc verbo etiam illud non inconvenienter accipere,
viros misericordiæ fuisse Apostolos, id est, plenos misericordia seu viros
 misericordiæ datos Ecclesiæ universæ. Scimus enim quòd viri isti nec sibi
 vixere, nec sibi mortui sunt sed ei qui pro ipsis mortuus est : magis autem
 nobis omnibus propter illum. Quantum enim proderit nobis eorum
 justitia, quando ipsa quoque sicut ostensum est, tantum profuere pecca-
 ta? Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, etiam & mors ipsa.
 Etenim in conversione continentiam, in prædicatione sapientiam, in pas-
 sione sua patientiam nobis beati Apostoli contulerunt. Quartum usque
 hodie conferre non cessant misericordia pleni, quod est sanctarum
 fructus orationum. Quamvis & in ipsa eorum vita adhuc inve-
 nias quod adnumeres, fiduciam scilicet, quam nobis miraculorum

R r 3

exhi-

*Exempli Pe-
 tri pœnitentiæ
 animat pecca-
 tores.*

b Matt. 26. g

*Contumaces
 & refractarii
 post lapsum
 abominabiles.*

i Psal. 67. b

*Verba melli-
 sua & cõsola-
 tionis plenissi-
 ma.*

*Apostoli
 Cur viri mi-
 sericordiæ vo-
 centur.*

*SS. Vita do-
 ctrina & mor-
 te ipsa, deni-
 que & oratio-
 nibus in nos
 benefici.*

exhibitione præbuerunt. Et quis enumeret quàm multa nobis per eos beneficia provenerunt? Bene ergo de eis Scriptura loquitur. Quoniam *hi sunt viri misericordie*. Et addidit: *Quorum justitiæ oblivionem non acceperunt*. Vis ut nec tuâ accipiat oblivionem? A triplici cave periculo: & florebit in æternum ante Dominum. Legis enim: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*^k. Legis: *Si averterit se iustus à iustitia sua, &c. omnium iustitiarum eius non recordabor*^l. Legis quibusdam dicendum in iudicio^m; *Non novi vos*; illis sine dubio qui receperunt mercedem suam.

*Que iustitia
coram Deo in
oblivionem.
Apostol. iu-
stitia perma-
nens.*

Deut. 8.
n Gen. 38. b
Deut. 25 b

o Psal. 140. c
p Ioan. 10. d

q 1. Cor. 1,
& 3.

Ergo omnis iustitia tepida, omnis transitoria, omnis vendita erit in oblivionem coram Deo. Sed non ita Apostolorum iustitiæ: quod ex eo satis apparet, quod sequitur: *Cum semine eorum permanent bona*. Manent enim usque hodie in nobis Apostolorum vestigia: & eorum religio, quia ex Deo est, non potest dissolvi. Vestes Israelitici populi quadraginta annis in deserto perseveraverunt integræ: multò magis Apostolorum vestes super jumentum Salvatoris impositæ. *Cum semine* (inquit) *eorum*. Quod est semen, quia sequutus adiungit, *Hæreditas sancta nepotes eorum*ⁿ? Idem profecto & semen sunt, & nepotes; Meministis credo (scientibus enim legem loquor) meministis inquam legalis mandati, ut suscitaret frater superstes semen fratri defuncto sine semine. Quis sine semine? *Singulariter*, ait^o, *ego sum donec transeam*. Ideoque resurgens: *Vade* (inquit) *dic fratribus meis*^p. Ac si dicat: Fratres sunt, faciant quod fratres. Ergo per Evangelium ipsi nos genuerunt: non tamen sibi, sed Christo, quia per Evangelium Christi. Hinc est quod moleste tulit Paulus quosdam eorum dici, à quibus geniti fuerant per Evangelium; indignans adversus eos qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego sum Cephe, ego Apollo*^q: Christi magis omnes & fieri volens & dici. Itaque semen Apostolorum sumus per prædicationem: sed per adoptionem & hæreditatem semen Christi, & Apostolorum nepotes.

DOMINICA QUARTA

POST PENTECOSTEN.

De pugna & victoria Davidis adversus Goliath. 1. Reg. 17.

S E R M O.

1. Reg.
17. a *

AUdivimus ex libro Regum^a Goliath virum proceræ staturæ, præsumptentem super multa fortitudine & magnitudine corporis sui, vociferantem adversus phalanges Israel, & provocantem eas ad singulare certamen. Audivimus etiam à DEO suscitatum spiritum pueri junioris, ut indignè ferret virum spurium & incircuncisum, castris Israel, & DEI summi